

*Investitura Rochetæ Pelasæ Johanni
Marchioni Montisferrati.*

287

MCCCXL.

IN nomine Domini amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCXL., Indictione VIII., die prima Aug. Rev. in Christo P., & D. Ottobonus, Dei gratia Episcopus Aquensis, electus, & confirmatus, vice, & nomine Aquensis Ecclesiæ, & successorum suorum tradidit, & concessit in perpetuum Illustrissimo Principi D. Joanni Marchioni Montisferrati, præsentis, & accipienti pro se, & ejus descendentes in nobile, & gentile feudum paternum, avitum, & antiquum castrum, turrim, atque demadium (1), necnon villam, homines, atque vassallos Rochetæ Pelasæ Aquensis Diocesis, omni mero, & mixto imperio, & omnimoda jurisdictione, territorio, districtu, & omnibus pertinentiis castri, & villæ prædictæ, poderiorum, cujus castri, & villæ cohærent poderia locorum Niciæ, Canellarum, Cassinaschi, Sexami, Bestagni, & Monteboni. Quod castrum, & villa feudum est antiquum Aquensis Ecclesiæ, & solita sunt concedi in feudum per ejus Prælatos ab antiquissimo tempore, citra quod contraria non est memoria, & quod castrum, & villa cum suis pertinentiis aperta sunt, & devoluta, atque pervenerunt ad dictam Ecclesiam ex culpa D. Franceschini de Calamandrana, qui ipsum castrum, & villam tenebat in feudum a dicta Ecclesia, commissa per dictum D. Franceschinum contra D. Electum, seu Ecclesiam veniendo ipse D. Franceschinus contra sacramentum fidelitatis, eo quod abstulit dictæ Ecclesiæ castrum, & villam Ronchi Zenarii Aquensis Diocesis juris, & proprietatis dictæ Ecclesiæ, quod castrum invasit, & occupavit, & adhuc tenet, nolendo ipsa restituere dicto Domino Electo, licet fuerit requisitus, & ex eo, quod dictus Dominus Franceschinus debuit dictum castrum, & villam Rochetæ vendidisse, & alienasse D. Ottonino Marchioni Incisæ sine licentia ipsius D. Electi ad habendum, tenendum, & possidendum jure feudi, & quidquid ipso D. Marchioni, & ejus descendentes perpetuo placuerit faciendum jure feudi, & fidelitatis semper salvo cum omnibus, quæ per dicta concessa sunt super se, vel infra, seu intra se in integrum, omnique jure, & actione, usu, seu requisitione ipsi D. Electo, seu ipsi Aquensi Ecclesiæ, ac prædictis castro, villa, & eorum pertinentiis, aut ipsis castro, villæ, & pertinentiis eorundem modo aliquo pertinente, quod castrum, villa cum suis pertinentiis & omnia prædicta concessa prædictus D. Electus dicto nomine constituit se tenere, & possidere, seu quasi nomine dicti Domini Marchionis, donec ipse D. Marchio prædictorum castri, & villæ, & aliorum supra concessorum possessionem acceperit corporalem, & quasi, quam accipiendi ipsius D. Marchionis propria auctoritate, & retinendi deinceps dictus dominus Electus licentiam dedit omnimodam. Promittens ipse D. Electus dicto nomine dicto D. Marchioni, vel ejus descendentes de ipsis castro, & villa, & aliis supra concessis, vel aliquo jure eorum non inferre,

nec inferenti consentire, jure fidelitatis semper salvo, sed potius ipsam concessionem omnia, & singula supra, & infra dicto nomine perpetuo rata, & firma habere, & tenere, & in aliquo non contrahere, vel venire per se, vel alios aliqua causa, vel ingenio de jure, vel de facto. Item versa vice ipse D. Marchio per se, & descendentes suos promittit, & convenit ipsi D. Electo, suo, & dicto nomine stipulanti, & corporaliter ad sacra Dei Evangelia tactis Scripturis juravit se de cetero prædictis castro, & villa, & aliis supra concessis, seu pro prædicto feudo ipsi D. Electo dicto nomine, & ejus Catholicis in dicta Ecclesia successoribus, seu ipsi Aquensi Ecclesiæ fidelem esse vassallum, & pro ipso castro, villa, & hominibus pacem, & guerram facere pro ipso D. Electo dicto nomine, & Aquensi Ecclesiæ contra omnem personam, collegium, & universitatem defendere, seu juvare, nec non bona, & homines ipsius Aquensis Ecclesiæ, quæ nunc habet, & in futurum habebit, mantere, & salvare, & nunquam esse in facto, dicto, vel consilio, in quo vel per quod ipse dominus Electus, vel ejus successores, personam, vel membrum amittant, vel dicta Aquensis Ecclesia bona aliqua, seu honores perdere posset, vel aliquam incurrere læsionem: consilium, si quod ab ipso domino Marchione dictus dominus Electus, vel ejus successores dicto nomine requirent, fideliter impartiri, & si quid ipsi D. Marchioni sub fide, & credentia nomine dictæ Ecclesiæ commissum fuerit, secretum tenere, & nulli pandere sine licentia ipsius D. Electi, vel Aquensis Ecclesiæ... verti posset, committere, vel aliquo modo machinari. Immo si quem, vel si quos sciret damnum, vel læsionem contra ipsum D. Electum, vel Aquensem Ecclesiam committere volentem, & volentes, suo posse disturbari, & si disturbare non posset, quam velocius fieri possit hæc ipsi D. Electo, vel ejus successoribus nunciaret. Et generaliter ipse D. Marchio puram, & meram fidelitatem fecit, & juravit dicto domino Electo nomine recipienti pro ipso feudo, prout, & secundum formam quæ in capitulis novæ, & veteris fidelitatis continetur. Quibus omnibus sic peractis prædictus dominus Electus dicto nomine dictum dominum Marchionem recipientem ut supra de ipsis castro & villa, & aliis supra concessis jure nobilis & gentilis feudi cum annulo aureo, quem ipse dominus Electus in sua tenebat manu, legitime investivit osculo pacis inter eos interveniente in signum dilectionis, fidei, & amoris.

Actum in Civitate Aquis, scilicet in Ecclesia majori dictæ Civitatis, in sacristia dictæ Ecclesiæ præsentibus nobilibus viris D. Marchione Comite de Cocconato, Bonifacio de Carreto nepote dicti domini Electi, Lucio de Tilio, Bertolletto de Cerexeto, & Pachino de Carreto de Ponte, testibus ad hæc voc., & rog. . . . Et inde jussit facere fieri duo publica instrumenta unius, & ejusdem tenoris, unum videlicet per me Franciscum Notarium infrasc., & aliud per Raimondellum de Grazano Notarium dicti domini Marchionis dictanda consilio sapientis, si fuerit opportunum. Ego Franciscus No-